

sarii iactant, imo tot ac tantos esse characteres similitudinis ut ex eis non spernendum exurgat argumentum pro Paulo auctore. Verum cum ex alia parte diversitas aliqua styli negari non possit, quod iam Hieronymus et Origenes notaverunt, possumus commode huius diversitatis rationem reddere. — Et 1^o quidem difficultas removeretur si eorum hypothesim amplecteremur qui dicebant Paulum hanc epistolam non scripsisse, sed vel sententias et materiam dedisse, quam postea alter scriptor, puta Clemens, vel Barnabas sive Lucas stylo suo exposuerit, quemadmodum vidimus Origenem sensisse, vel Paulum hebraico sermone scripsisse, alium autem eius scriptum graece reddidisse, ut Hieronymus et Eusebius existimant. In utraque hypothesi difficultas evanescit: si enim primum admittas, statim intelligitur cur stylus sit diversus, scilicet quia Pauli non est; si vero alterum supponas, adhuc res facile explicatur, et quidem respectu habitum ad auctorem tum ad interpretem. Ex parte quidem *auctoris* quia hebraice scribens elegantiori et vehementiori sermone uti potuit: ita rem explicat Hieronymus in Catalogo: « Scripserat ut Hebraeus Hebraeis Hebraice, id est suo eloquio disertissime, ut ea quae eloquentiae scripta fuerant in Hebraeo eloquentius verterentur in Graecum: et hanc causam esse dicant quod a caeteris Pauli epistolis discrepare videatur: » ex parte vero *interpretis* quia supponendum necessario non est eum, quisquis fuerit, verbum verbo reddidisse; potuit enim sensum sermonis elegantiori et copiosiori stylo reddere. — Verum 2^o licet quis praedictas hypotheses admittere nolle, posset etiam diversitas styli epistolae ad Hebraeos explicari. Sane sapientis et eruditi scriptoris est stylum suum accommodare materiae quam tractat. Iamvero epistola ad Hebraeos neque familiaris est, neque moralis, sed potius theologica atque dogmatica. Quid mirum si Apostolus in sublimiori scriptionis genere paulo eloquentiore stylo usus sit? Accedunt circumstantiae in quibus scribebat, quae maiorem dicendi vim postulare videbantur. Iudaei enim ad quos scribebat, uti supra diximus, male erga Paulum affecti erant: quare maior eloquentia et sermonis vis adhibenda fuit ad eorum animos commovendos. — Caeterum in aliis Pauli epistolis, et in eius sermonibus a Luca relatis in Actis Apostolorum plura elegantissima atque eloquentissima occurrunt, quae epistolae ad Hebraeos nullatenus inferiora sunt. In exemplum adducimus caput XIII epistolae primae ad Corinthios, capp. IV, V et IX

epistolae ad Romanos, epistolam ad Philippenses, orationem in Areopago Athenis habitam (Act. XVII, 22–32), eiusdem orationem coram Felice praeside (Act. XXIV, 10–22), item aliam coram Agrippa rege (Act. XXVI, 1–30).

Obiectio 3^a erat ex citationibus Scripturae factis iuxta versionem LXX.

Huic obiectioni *Resp.* 1^o difficultatem prorsus evanescere si admittamus epistolam ad Hebraeos graece scriptam fuisse: quod quidem a pluribus Doctoribus ac Theologis admittitur et etiam nobis verosimilius videtur (1). Hoc enim admissio pronum erat Scripturam ex graeca versione communiter recepta allegare. Quod etiam confirmatur exemplo Petri, et Iohannis, qui licet Hebraei essent et ad Hebraeos scriberent, testimonia tamen proferunt ex eadem versione Alexandrina. Scilicet Apostoli et graece scribebant, et graecam Scripturam citabant quia eorum aetate ac lingua eaque versio Hebraeis satis nota et familiaris erat. — Attamen 2^o etiam si quis omnino vellet epistolam hebraica lingua a Paulo fuisse exaratam, adhuc explicari posset citatio locorum S. S. iuxta graecam versionem: scilicet haec ab interprete epistolae usurpata fuisset. Neque argumentandi ratio Apostoli deficeret in hebraico textu; nam vox illa בְּרִית (berith) quamvis non necessario *testamentum* significet, hanc tamen notionem non excludit, et cum aliunde foedus illud a Deo cum hominibus initum naturam testamenti haberet potius ex ea notione Paulus argumentari dicendus est (Hebr. VIII, IX). Hinc etiam LXX interpretes vocem illam plerumque reddiderunt per vocem *δευτερον* *testamentum*, idemque fecit aliquando ipse Hieronymus ex. gr. in c. IX Zachariae. Quod autem pertinet ad explicationes nominum *Melchisedech*, et *Salem* (VII, 1, 2) potuisset Paulus etiam hebraice scribens eas ponere significationem nominum etymologicam tradens, quemadmodum si quis latine scribens nomina quaedam propria ex etymologia explicaret dicens puta: *Lucifer*, id est, *lucem ferens*, *Pacificus*, id est, *pacem faciens*, aut aliud simile.

Obiectio 4^a desumebatur ex erroribus, quos adversarii dicunt in

(1) Clemens enim Alexandrinus primo affirmavit Epistolam hanc hebraice fuisse scriptam, cuius testimonio innixi plures postea idem repetere consueverunt, nemo autem argumento aliquo innixus hoc asseruit, sed ex conjectura tantum, et ad difficultatem ex diversitate styli desumptam facilius dissolvendam.

nostra epistola contineri, quorum primus est ille in cap. II, v. 3, ubi auctor dicit se ab Apostolis Evangelium suscepisse.

Quibus resp. 1^o non necessario ea verba de ipsa auctoris persona intelligenda esse; potuit enim Paulus *communicative* loqui plurali numero de omnibus Hebraeis, ad quorum gentem ipse pertinebat, quamvis id de quo loquitur, ipsi taxative applicari non posset; quemadmodum in prima persona plurali loquitur alias cum de gravissimis Hebraeorum sceleribus loquitur, quibus tamen ipse minime participaverat. — Verum 2^o possunt ea verba etiam ad Paulum extendi quin ulla exinde oriatur contradictio inter hunc locum et Gal. I, 12, ubi Paulus narrat se a Christo immediate edoctum fuisse. Sane in loco obiecto proprie non diceret auctor se ab Apostolis accepisse Evangelium, sed ab iis *confirmatum* fuisse, quod quidem cum immediata Christi revelatione bene consistere potest, immo cum historia Pauli apprime concordat, qui accepto Evangelio ad Apostolos venit ut ab iis probaretur, et *conferret cum iis Evangelium, ne in vacuum curreret aut cucurrisset* (Gal. I, 18, II, 1, 2).

Altera difficultas erat ex cap. VI, 4 seqq. et c. X, 26, ubi auctor iis qui peccant postquam illuminati fuerint omnem spem veniae videtur adimere.

Diversae sunt interpretum sententiae de prioris loci sensu. Alii enim explicant de gratia Baptismatis, quam recuperare Paulus impossibile esse dicit eo quod Baptismus iterari nequit. Baptismus enim ab antiquis solebat *illuminatio* (φωτισμός) appellari: et auctor in v. 1, 2, huius capitis dixerat se nolle amplius insistere in primis Christianae doctrinae elementis, *baptismatum doctrina* etc. — Alii vero explicant locum de recuperanda simpliciter gratia per poenitentiam: tunc autem verbum *impossibile* accipiendum esset hyperbolice pro *valde difficili*; quae explicatio ex contextu confirmari videtur: nam similitudo quae statim subiungitur terrae sterilis et spinas germinantis, cuius consummatio in combustionem, ad peccatorum veniam simpliciter referri videtur potiusquam ad baptismi gratiam: hyperbole autem maxime convenit scopo totius epistolae et praecipue huius capitis VI, extollendi scilicet sanctitatem et sublimitatem novae Legis prae veteri, et exaggerandi malitiam eorum qui in nova Lege Deum offendunt; quare in cap. II exclamabat: « Si enim qui per » Angelos dictus est sermo factus est firmus, et omnis praevariatio, et inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quo-

» modo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? » — Verba autem illa X, 26, ubi *voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis ait non relinqui pro peccatis hostiam*, hoc tantum significant, fidelibus peccantibus, et praecipue iis, qui ex malitia et ex divinae bonitatis contemptu peccant, valde timendum esse ne pereant, cum aliud sacrificium pro iis offerri non possit praeter Christi sacrificium, cuius tamen beneficium ac fructum ingrati respuunt. — Sed de his locis plura disputare solent dogmatici Theologi in tractat. de Poenit. et de Sacrificio Missae, ad quos lectorem remittimus. — Caeterum si adhuc duriores videntur huiusmodi auctoris locutiones recolendum est alia quoque in Scripturis occurrere quae non minus dura apparent ut ex. g. Mat. XII, 31, ubi peccatis contra Spiritum Sanctum negatur remissio *sive in hoc saeculo sive in futuro*: item I Ioh. V, 16, ubi sermo est de peccato *ad mortem*, et 2 Pet. II, 21, ubi melior dicitur conditio eorum qui nunquam ad fidem venerunt, quam qui post acceptam fidem peccatis rursus implicati superantur; et ipse Paulus in aliis locis, puta in epistola ad Romanos et alibi similia habet.

Tertius locus erat ex capite IX, v. 3 et 4, ubi tabernaculi descriptio fit, in qua duos errores adversarii deprehendunt, alterum de thuribulo aureo intra Sanctum Sanctorum posito, alterum de manna et virga in arca collocatis. — Verum ad primum quod attinet respondemus auctorem epistolae ad Hebraeos praecise non dicere χρυσοῦν θυμιατήριον (quod latinus interpres vertit *aureum thuribulum*) intra Sanctum Sanctorum fuisse, sed tantum ait: *Sanctum Sanctorum aureum habens thuribulum*: quod quidem verum est. Nam etiamsi thuribulum illud esset extra Sanctum Sanctorum, ad illud tamen pertinebat, et in illud inferendum erat semel in anno in magna die expiationis ad suffitum thymiamatis excitandum (Lev. XVI, 12, 13). Quare auctor noster dicere potuit Sanctum Sanctorum *habuisse* thuribulum sicut recte dicitur quod arx habet fossam, quod urbs habet pomerium, caput habet collum, quae tamen extra posita sunt. — Quod pertinet ad virgam et manna variae suppetunt responsiones; alii enim dicunt illud *in qua, ἐν ἣ, non ad arcam sed ad tabernaculum esse referendum*: nam in Graeco textu tum *arca* (ἡ κιβωτός) tum tabernaculum (ἡ σκηνή) sunt generis foeminini. Tunc itaque locus ita legendus esset (IX, 3, 4): « Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur

Sancta Sanctorum aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in quo (tabernaculo) erat etiam urna aurea habens manna, et virga Aaron quae fronderat, et tabulae testamenti.» Obstat tamen huic lectioni non solum auctoritas Vulgatae quae illud ἐν τῇ ad arcam refert, sed ipse contextus: statim enim sequitur vers. 3: « Superque eam erant Cherubim etc. » porro Cherubim non super tabernaculum sed super arcam collocati erant. Alii dicunt propositionem ἐν in non esse stricte accipiendam pro intra, sed latius pro iuxta, prope: et afferunt plura exempla ad hunc usum particulae in probandum: ita ex. gr. Jer. XXXV, 2 de Rechabitis legitur: « Et introduces eos in domum Domini in unam exedram thesaurorum » et similiter v. 4, « et introduxi eos in Domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan » cum tamen exedra thesaurorum, seu gazophylacium illud non esset intra templum, sed in proximo aedificio: ita etiam Moyses et Elias in transfiguratione Domini « dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem » Luc. VI, et tamen excessus Christi, seu mors Crucis extra Ierusalem in monte Calvariae locum habuit: item Iesus Ioh. IX dicitur ambulasse « in templo in porticu Salomonis » licet porticus certe extra templum esset. Quare in obiecto loco manna et virga dicerentur in arca fuisse, idest iuxta arcam, vel in thecis ipsi arcae adnexis. — Alii vero, quibus haec parum obvia ac verosimilia videntur, verba Pauli in proprio sensu accipiunt, ita nempe ut manna et virga dicantur intra arcam fuisse: hoc autem dicunt non contradicere testimonio 3 Reg. VIII, et 2 Paralip. V, 10; siquidem in his locis sermo est de rerum sacrarum dispositione in templo Salomonico, Paulus vero loquitur de tabernaculo a Moyse confecto: potuit autem manna et virga stante tabernaculo in arca foederis asservari, quae postea aedificato templo extra arcam collocata fuerint, ita ut in dedicatione templi non esset aliud in arca nisi duae tabulae lapideae.

Obiectio 5^a ex verbis Hebr. XIII, 23, ubi de Timothei captivitate et liberatione sermo est facile solvitur. Unde enim sciunt adversarii Timotheum ante Pauli mortem numquam in vinculis fuisse? Contrarium certe videtur colligi posse ex prima ad eundem Timotheum epistola c. VI v. 12, ubi Apostolus eum laudat quod confessus fuerit bonam confessionem coram multis testibus. —

THESIS III.

Epistola prima Catholica genuina est, eiusque auctor est Iacobus Apostolus Minor dictus.

Septem Epistolae quae post Paulinas in Canone recensentur a Graecis et Latinis scriptoribus *Catholicae* appellari consueverunt, vel etiam aliquando *Canonicae* ut apud Iunilium Africanum (l. I De partibus divinae legis cap. V) Cassiodorum et alios. Sunt autem una epistola Iacobi, duae Petri, tres Iohannis et una Iudae. In vulgata vero latina prima tantum et ultima *Catholica* titulum inscriptum gerunt. Si ratio quaeratur huius primae appellationis non una videtur esse doctorum sententia. Origenes enim (apud Euseb. VI, 25 et in Ieremiam hom. X etc.) Catholicam videtur accipere pro *omologumena* seu communi consensu recepta: Eusebius (II, 23 et III, 3, 25) incerte loquitur: nam inter Catholicas epistolas etiam *dubias* recenset, iisque *apocrypha* opponit. Verum communior explicatio est, quam Oecumenius, Theodoretus alique tradunt, qui Catholicam pro *circulari* seu *encyclica* epistola ponunt. Ratio igitur cur septem illae epistolae Catholicae dictae sunt, haec est quod non ad singulares Ecclesias vel personas, ut Pauli epistolae destinatae sunt, sed ad omnes universim Christi fideles. Difficultas moveri posset ex secunda et tertia Iohannis, quae reapse privatis personis inscribuntur. Verum hoc non obstante duae illae epistolae cum Catholicis adnumeratae sunt vel quia semper cum prima eiusdem Iohannis epistola, quae vere Catholica est, coniunctae fuerint, vel quia alteri classi minus apte quadrarent. Graeci solent complexum harum septem epistolarum singulari vocabulo *Καθολικόν* appellare. Difficilius est alterius denominationis rationem reddere qua nempe epistolae illae *Canonicae* appellantur: si enim id dicatur, quia canones seu regulas morum tradunt, hoc etiam Pauli epistolis commune est; si vero Canonicae dicantur quia in Canone sunt relatae, minus apte id dici videtur cum omnes N. T. libri hoc sensu canonici sint, et quidem plerique ex iis semper in Canone fuerint quod de quinque ex Catholicis epistolis verum non est. Fortasse hic aliquid valet Richardi Simonis coniectura affirmantis, epistolas illas cum aliquando incertae fuerint apud

quosdam, atque ideo in nonnullis canonibus omissae, sed tandem superatis difficultatibus, et dissipatis dubiis in canonem fuerint receptae, hac de causa veluti *anonomastice* a pluribus Canonicas appellatas fuisse. Quidquid sit de huiusmodi explicationibus, denominatio haec vix amplius in usu est, manente prima appellatione epistolarum *Catholicarum*.

Ex septem hisce epistolis duae tantum sunt protocanonicae, nempe *prima Petri*, et *prima Iohannis*, de quibus in praecedentibus articulis actum est. Caeterae quinque ad deuterocanonicas Scripturas pertinent, de quibus proinde nunc singillatim tractabimus incipientes ab *epistola Iacobi*, cuius auctorem dicimus esse Apostolum, qui Iacobus Alphaei vel Iacobus Minor vocari solet.

In hac epistola auctor, praemissa salutatione, docet imprimis tentationum utilitatem, et sapientiam a Deo cum fiducia postulandam esse (c. I). Refellit deinde haeresim illorum qui in sola fide confidebant, et opera negligebant, docens *fidem sine operibus mortuam esse* (I, 22, II, 26). Tertio mala linguae recenset, quam gubernare et refracnare difficillimum est, subditque differentiam inter terrenam et coelestem sapientiam (III). Quarto agit de moribus, et virtutibus patientiae, mansuetudinis, iustitiae, poenitentiae, timoris Dei, temperantiae et castitatis, religionis, charitatis et correctionis fraternae (IV-V, 13). Postremo Unctionis extremae Sacramentum promulgat, et orationis efficaciam commendat (V, 14-20). — Sed ad auctorem epistolae veniamus.

§. I Argumenta quae Epistolae Iacobi authenticam generatim ostendunt.

Quod Iacobus initio huius epistolae commemoratus, auctor fuerit eiusdem numquam videtur serio in dubium revocatum fuisse. Hieronymus quidem *De Viris illustribus* in *Iacobo* ait loquens de hac epistola: « Quae et ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita » assertit, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem; » quod iam antea Eusebius notaverat in fine Cap. 23, L. II. Attamen quinam hoc affirmaverint neque Eusebius neque Hieronymus, neque alius quisquam dixit. Contra vero quicumque ex antiquis huius epistolae mentionem fecere eam Iacobo adscribunt. — Dubitatio autem, si qua fuit, respicit 1^o personam illius Iacobi

cuius nomen epistola gerit, 2^o canonicam ipsius epistolae auctoritatem. — Ut igitur ordine procedamus 1^o breviter afferemus argumenta, quae genuinam huius epistolae originem ostendunt; tum vero 2^o quaestionem instituemus quisnam ille sit Iacobus epistolae auctor. — De canonica autem epistolae auctoritate non est hic dicendi locus, sed hanc quaestionem ad secundam Sectionem II Partis remittimus.

Itaque epistolam nostram Iacobo semper adscriptam fuisse probant ecclesiae tum occidentalis, tum orientalis monumenta.

1^o Ad Occidentales seu Latinos quod pertinet, vetustissimus huius Ecclesiae scriptor *Clemens Romanus* Iacobi epistolam inter Apostolicas Scripturas citat pluribus in locis ex. gr. in 1^a epistola ad Corinth. cap. 38 dum ait: « sapiens ostendat sapientiam suam non in verbis sed in bonis operibus » quae evidenter ex Iacobo III, 43 deprompta sunt: item cap. 30 incipit verbis Iacobi c. IV, 6: « Deus enim superbis resistit: » et mox transit ad reprehendendam *detractionem* ut Iacobus ibidem v. 41, et concludit cum doctrina de iustificatione ex operibus et non ex fide tantum, quod est praecipuum argumentum Iacobi epistolae. De hac vero doctrina iterum loquens Clemens in cap. 30 Abrahami et Rahab exempla, item alia argumenta profert eodem modo ac iisdem pene verbis quibus Iacobus II, 20-25. Quod autem Iacobum expresse non nominet mirum non est cum Clemens nullum ex Agiographis nominare soleat. Nobis tamen sufficit epistolam Iacobi Clementi notam fuisse, et cum aliis Apostolicis scriptis citatam, quod praefatam calumniam quorundam apud Hieronymum omnino refellit. — Post Clementem *Irenaeus* adv. haer. IV, 46 asfert verba illa Iacobi II, 23: « Creditur Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei factus est: » quae postrema verba neque in Genesi XV, 6, neque in Paulo Rom. IV, Gal. III, sed tantum in cit. Iacobi loco leguntur. — *Hieronymus* quamvis in citato loco quorundam dubitationes innuat, ipse tamen epistolam Iacobo tribuit inquam: « Iacobus qui appellatur frater Domini unam tantum scripsit Epistolam, quae de septem Catholicis est, » eamque dicit procedente tempore obtinuisse auctoritatem. In epistola vero ad Paulinum absolute affirmat: « Iacobus, Petrus, Iohannes, Iudas Apostoli septem epistolas scripserunt tam mysticas quam succinctas, et breves pariter et longas, breves in verbis, longas in sententiis. » —

Ante Hieronymum Concilia Africana *Carthaginiense* III can. 47, et *Hippouense* can. 29 inter canonicas Scripturas a *Patribus acceptas in Ecclesia legendas* numerarunt Iacobi epistolam; hisque assentiuntur *Augustinus* in l. II. De doctr. Christ. cap. 8, *Rufinus* in expositione Symboli, Romanique Pontifices *Innocentius*, *Gelasius*, *Hormisdas* caeterique omnes quotquot apud Latinos librorum divinarum canonem confecerunt. — Quibus addendum est argumentum ex vetustissima latina versione, in qua semper epistola nostra Iacobo inscripta extitit, atque in Ecclesia sub eius nomine lecta fuit, quod etiam ex liturgicis Latinorum libris evidenter ostenditur.

2° Si autem Ecclesiam Orientalem consulamus, non minor apparet in ea consensus de Iacobi epistola. Sane Canones Graecorum, etiam antiquissimi Iacobo epistolam inscribunt: ita canon Synodi Laodicenae saeculo III, canon 85 inter Apostolicos, canon Gregorii Naz. in Carmine et caeteri omnes. — Ante istos *Clemens Alex.* commentarium in Iacobi epistolam scripsit ut testatur *Eusebius* II, 23; *Origenes* apud eundem *Eusebium* III, 25 hanc epistolam Iacobo adscribit eamque inter Scripturas citat in comm. in Iohannem; quod si eam *φερομένην* 'Iακώβου appellat, haec loquendi ratio non ostendit eam uti dubiam habuisse: nam, teste *Eusebio* (II, 15; III, 25), eodem modo de certis etiam libris loquitur, ut cum dicit τὴν *φερομένην* 'Ιωάννου πρώτῃραν; et alibi Μάρκου οὗ τὸ Ευαγγέλιον φέρεται etc. — *Athanasius* epistolam Iacobi inter Apostolicas numerat apud *Euseb.* III, 25, quibus consentiunt *Epiphanius*, *Chrysostomus*, *Amphilochius* ac reliqui Graeci Doctores primorum saeculorum. — Notandum maxime est testimonium versionis Syriacae in qua epistola Iacobo inscripta usque ab initio, idest usque ab Apostolica aetate, adfuit, quia, ut alias monuimus, versio illa quatuor alias Catholicas epistolas fortasse omiserat. — Ex quibus concludere iam licet controversiam de epistolae genuinitate proprio sensu nunquam in Ecclesia extitisse, quidquid sit de canonica eius auctoritate, de qua hic non loquimur.

Difficultas moveri posset ex antiquissimo canone Muratoriano, in quo mentio huius epistolae non fit, nec non ex auctoritate *Eusebii*, qui hanc epistolam inter controversas (*ἀνεπιλεγόμενας*) collocat. — Verum ex dictis responsio in promptu est; hos scilicet auctores quaestionem non instituere de librorum auctoritate, sed de publica et canonica auctoritate eorumdem. — Caeterum *Eusebius*

suam hac de re sententiam promit, cum epistolam de qua loquimur, citat ex. gr. in ps. 56 scribens..... « ait Sacer Apostolus: tristatur quis in vobis oret » (Iac. V, 13). — Ex quibus apparet ferendam omnino non esse *Erasmii* et *Caietani* audaciam, qui saeculo XVI de authentia nostrae epistolae dubitare visi sunt, ac multo minus *Lutheri* temeritatem, qui videns in hac epistola palmare suum dogma de sola fide iustificante expresse damnari eam arroganter et rustice *stramineam* appellavit, et tamquam *Apostolico Spiritu indignam* ex numero librorum sacrorum expunxit.

§. II. Proponitur controversia de tribus Iacobis, atque ostenditur Iacobum fratrem Domini unum eundemque esse cum Iacobo Alphaei, seu Iacobo minore.

Quod duo inter Apostolos Iacobi nomine appellati fuerint nemo ignorat: scilicet 1° *Iacobus Zebedaei*, frater Iohannis, post Petrum et Andream a Christo vocatus (Mat. IV, 21; Marc. I, 19) qui tertio loco nominatur in serie Apostolorum (Mat. X, 3; Luc. VI, 14, 15; Act. I, 13) et ab Herode Agrippa gladio interemptus dicitur circa annum 44 aerae Christianae (Act. XII, 2): 2° Iacobus alter qui semper post primum collocatur in citatis catalogis Apostolorum, et *Iacobi Alphaei* appellatione a priore distinguitur. Hosce duos Iacobos in numero Apostolorum extitisse omnes admittunt. — Verum in aliis Scripturae locis inter eos qui *fratres Iesu* dicuntur quidam Iacobus apparet (Mat. XIII, 55; Marc. VI, 3) de quo etiam Paulus mentionem facit (Gal. I, 19) qui etiam Iacobus *minor* aliquando dicitur (Marc. XV, 40). Hunc vero Iacobum *fratrem Domini* episcopum Hierosolymitanum fuisse tradunt *Clemens Alexandrinus* et *Hegesippus* (apud *Euseb.* II, 23), eundemque referunt cognomen *Iustum* et *Obliam* fuisse appellatum, quod etiam *Ios. Fl.* confirmat (Antiq. XX, 8): eum denique citati auctores narrant de templi pinaculo praecipitatum propter Christi confessionem occubuisse. Hunc igitur Iacobum nonnulli a duobus Iacobis Apostolis distinguunt, atque ita tres numerant Iacobos 1° *Iacobum Zebedaei* seu maiorem. 2° *Iacobum Alphaei* seu minorem, utrumque Apostolum. 3° *Iacobum fratrem Domini* Hierosolymorum Episcopum non Apostolum: hunc autem postremum Iacobum epistolae Catholicae auctorem faciunt, ea praesertim de causa quod auctor huius epistolae se Apo-

stolum non dicat. Ita inter veteres opinati sunt Epiphanius (haer. 76), Auctor constitutionum apostolicarum l. 2 c. 59 et alii pauci quos sequuntur recentiores nonnulli, imprimis Franciscus Antonius Zaccarias in speciali tractatione de tribus Iacobis. Nos vero cum communi sententia defendimus non tres sed duos esse admittendos Iacobos, cum Iacobus frater Domini unus idemque sit cum altero ex duobus omonymis Apostolis, seu Iacobo Alphaei.

Argumenta quibus nostra sententia innititur sunt potissimum haec.

Argumentum 1^m. Praesumptionem parit pro identitate utriusque Iacobi, Alphaei scilicet et fratris Domini, quod Matthaei XIII et Marc. VI inter fratres Domini Iacobus, Simon et Iudas inveniuntur (1), hi autem tres etiam in catalogis Apostolorum recurringunt in cit. loc. Mat. X, Luc. VI, Act. I, et quidem ex iis Iacobus et Iudas dicuntur fratres fuisse, id enim non obscure innuit Lucas VI, 16 ubi Iudam appellat *Iudam Iacobi*, et clarius ipse Iudas in epistola sua se vocans *fratrem Iacobi Iud. I, 4*.

Ex quibus colligitur sine causa distingui fratres illos Domini ab eiusdem nominis Apostolis. Quare videtur Iacobum illum fratrem Domini ipsum esse Apostolum, vocari autem Iacobum Alphaei ut ab altero Iacobo Apostolo Zebedaei filio distinguatur.

Argumentum 2^m. Verum clarius id apparet ex Pauli verbis Gal. I, 18, 19 ubi Iacobus frater Domini simul Apostolus fuisse dicitur. Ait enim: « Deinde post annos tres veni Hierosolimam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim; *alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini.* » Quibus verbis nullum luculentius pro re nostra argumentum afferri posse videtur. Non ignoramus Grotium contrariae sententiae fautorem verba citata ita intelligere: « nullum reperi Apostolorum (quippe qui alio iverant Evangelii spargendi causa), *sed* reperi eum qui eorum vices obibat, Iacobum fratrem Domini » (Grot. Adnot. in Gal. I, 19). Scilicet particulam illam *et* $\mu\eta$ vult significare *sed*, non autem *nisi*, citans in confirmationem huius significationis alia loca ut v. 7 huius capituli, et II, 16; Mat. XII, 4; Apoc. II, 5 etc.

(1) Mat. XIII, 55 Iudaei loquentes inducuntur de Christo: « Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria? et fratres eius Iacobus, et Ioseph (graece Iosaph), et Simon et Iuda? » Eadem repetuntur Marc. VI, 3: « Nonne hic est faber filius Mariae, frater Iacobi, et Ioseph, et Iudae et Simonis? »

Attamen violentam esse huiusmodi explicationem, et ex praerudicata opinione exortam nemo non videt: verba enim Pauli in contextu considerata hunc sensum praeseferunt: *praeter Petrum ex numero Apostolorum vidi solum Iacobum fratrem Domini*. Praeterea omnem cavillandi locum praeccludit Lucas Act. IX, 26 et seqq. Hic enim de eodem primo Pauli adventu Hierosolimam loquens non diu post eius conversionem, et postquam ex insidiis Iudaeorum Damasci sibi paratis evasisset, haec habet vers. 26 usque ad 28: « Cum autem venisset in Ierusalem tentabat se iungere discipulis, et omnes timebant eum non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum *duxit ad Apostolos*, et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu. » — Cum igitur ad *Apostolos* accesserit Paulus necesse est ut saltem duos ex illis viderit: si autem Iacobus ille frater Domini (Gal. I, 19), quem solum praeter Petrum vidisse se narrat Paulus, non fuisset Apostolus, iam unum tantum ex Apostolis vidisset. Quod etiam confirmatur ex rei convenientia: cur enim si Iacobus ille Apostolus non fuerit, tam sollicitus de eo invisendo fuisset Paulus ita ut eum solum, relictis Apostolis, conveniret? Concludamus igitur Iacobum hunc fratrem Domini in numero Apostolorum fuisse, atque ideo unum eundemque esse cum Iacobo Alphaei, seu Iacobo minore; quod enim Iacobus maior, seu Zebedaei fuerit frater Domini nulla ratione affirmari potest.

Argumentum 3^m. suppeditat diversa ratio qua Agiographi N. T. de Iacobo minore loquuntur sive ante sive post mortem Iacobi maioris: hoc enim vivente, duos Iacobos sedulo distinguunt, alterum appellantes Iacobum Zebedaei, alterum Iacobum Alphaei, vel Iacobum minorem. Statim autem post prioris Iacobi mortem, quae quindecim circiter annis post Domini ascensionem accidit, superstitem Iacobum simpliciter *Iacobum* vocant. Quod ostendit nonnisi duos insignes in Ecclesia Iacobos tunc fuisse, qui dum ambo in vivis erant sedulo erant distinguendi, alterutro autem mortuo, alter distinctione nulla egebat: quae distinctio adhuc necessaria fuisset, si Iacobus frater Domini Episcopus Ierosolymae, et in Ecclesia celeberrimus idem non fuisset ac Iacobus minor Apostolus.

Praefata autem diversa loquendi ratio de duobus Iacobis ex sequentibus exemplis patebit. — Praeter Mt. X, 3, Luc. VI, 14, 15

ubi duo Iacobi, apposito patris nomine distinguuntur, Lucas in Actis Apostolorum I, 13 post Domini ascensionem alterum Iacobum addito Alphaei nomine adhuc a priore distinguit; idemque facit etiam in c. XII, 1, 2, ubi *Iacobum fratrem Iohannis* ab Herode occisum refert; verum ex hoc tempore nulla amplius distinctionis nota utitur: ita in eodem cap. XII, 47 Petrus e carcere liberatus ait: « nuntiate *Iacobo*, et fratribus haec: » in cap. XV, 43 in Concilio Apostolorum: « postquam tacuerunt (Barnabas et Saulus) respondit *Iacobus*: Viri fratres audite me. » Et in cap. XXI, 48 cum Paulus Hierosolymam venisset « introibat ad *Iacobum*. » Eadem ratione sese gerit Paulus in ep. ad Gal., ubi historiam suae conversionis et Apostolicae missionis pertexit: siquidem in c. I, 19 de primo suo adventu Hierosolymam loquens (a. 38 aer. vulg.) vivente adhuc Iacobo maiore, alterum Iacobum, quem vidisse se dicit, appellat *Iacobum fratrem Domini*; in cap. vero III, 9 cum tertio se contulisset ad Apostolos *post annos quatuordecim* (v. 4) (mortuo iam Iacobo maiore) dicit *Iacobum* una cum Cepha, et Iohanne sibi dexteram dedisse. Iudas etiam, initio suae epistolae, se *fratrem Iacobi* simpliciter appellat. Ex quibus apparet post mortem Iacobi Zebedaei unum superfuisse Iacobum in Ecclesia percelebrem, qui cum nullo alio confundi posset. Hunc autem et Apostolum et episcopum Hierosolymitanum simul fuisse ex ipsis Lucae testimoniis superius citatis colligitur; ad eum enim statim misit Petrus qui nunciaret suam e carcere Hierosolymitano liberationem Act. XII, 47; idem in Concilio Apostolorum Hierosolymae habito locutus est, et sententiam primo a Petro latam argumentis fulcivit, caeteris Apostolis tacentibus Act. XV, 13 seqq.; ad eum venit Paulus Hierosolymam, et in eius domo *collecti sunt seniores* Act. XXI, 17, 18.

Argumentum 4^{um}. Si extrinseca auctoritas nostrae sententiae pendatur, ea omnino praeferenda erit: siquidem longe maior pars Doctorum et interpretum tum veterum tum recentiorum Iacobum Alphaei non distinguit a Iacobo fratre Domini et Hierosolymae episcopo; quam sententiam sequitur Ecclesia in Breviario in festo S. Iacobi minoris (die 4 Maii), et ipsum Concilium Tridentinum in Sess. XIV cap. 1 de *Extrema Unctione*, quod sacramentum *per Iacobum Apostolum et Domini fratrem* commendatum ac promulgatum asserit.

Ea quae adversarii contra afferunt non magni ponderis sunt. Obiiciunt enim *negative*.

1^o In serie Apostolorum Mt. X, Luc. VI, Act. I Iacobus Alphaei numquam *frater Domini* appellatur; et viceversa Iacobus *frater Domini* numquam *Apostolus* dicitur.

Resp. Nulla erat necessitas haec duo simul commemorandi. In locis illis ubi series Apostolorum ponitur, Iacobus alter a priore distinguitur apposito patris nomine iuxta consuetum Hebraeorum morem, nec locus erat dicendi illum fratrem Domini fuisse; ubi autem de Domini fratribus est sermo Mat. XIII, 55; Mar. VI, 3, Christi concives loquentes inducuntur, qui illum despiciebant, nec Apostolorum dignitatem sciebant aut admittere parati erant. Paulus vero Gal. I, 19 ubi de Iacobo fratre Domini loquitur si eum Apostolum non vocat, aequivalenter tamen id facit, ut superius indicavimus.

2^o Dicunt Iacobum initio suae epistolae se Apostolum non nominare.

Resp. Iacobus se appellans *Dei et Domini nostri Iesu Christi servum* satis innuit se unum ex Apostolis fuisse, quibus appellatio illa veluti antonomastice propria adhaeserat. Expressa autem Apostoli appellatio necessaria non erat: nam etiam Paulus in epistolis ad Thessalonicenses, ad Philippenses, ad Philemonem, se *Paulum* nude appellat, vel addit tantum *Dei servus*; idem dic de Iohanne in prima sua epistola.

Obiiciunt deinde *positive*.

1^o Locum Io. VII, 5, ubi *fratres Domini* increduli fuisse dicuntur: « *neque enim*, inquit, *fratres eius credebant in eum*. » Quod de Apostolo absonum esset suspicari.

Resp. 1^o Si diceremus etiam aliquos Apostolos tunc temporis non satis in Iesum credidisse, non tam absurdum esset, cum aliunde sciamus imperfectam eorum fuisse fidem, et hic non de absoluta incredulitate, sed de quadam in fide haesitatione sermo sit, qua fiebat ut illi confirmationem quaerent divinae Christi missionis. - Verum 2^o certum non est in citatis Iohannis verbis omnes Christi fratres includi: quin imo ex contextu apparet de his tantum sermonem esse, quos Christus tunc adivit in urbe Nazareth, aliisque locis Galilaeae commorantes, quique Christo suadebant ut ab ea regione discederet, et in Iudaeam abiret, ut ibi missionem

suam evidenter probare posset; quare Iacobus in horum fratrum numero computari nequit, utpote qui iam Christi assecla esset.

2° Potissimum urgent Iacobum Alphaei, et Iacobum fratrem Domini distinctos esse eo quod eundem non habeant patrem. Sane collatis duobus Evangelii locis Matt. XXVII, 56, et Ioh. XIX, 25 (1), apparet Iacobum fratrem Iuda et Ioseph, seu Iacobum fratrem Domini, fuisse *filium Cleophae*; dicitur enim filius *Mariae Cleophae*, idest uxoris *Cleophae*. Iamvero Iacobus minor Apostolus erat filius Alphaei, ut ex locis saepius citatis evidens est, ubi Iacobus Alphaei constanter appellatur. - Ergo duae diversae personae sunt.

Resp. variis modis huiusmodi difficultatem solvi posse.

Nam 1° quidam dicunt Cleopham illum non virum, sed patrem Mariae fuisse: Alphaeum autem fuisse eius virum. Attamen cum foeminae non ex nomine patris, sed ex nomine viri vulgo designari solerent dicere possemus 2° Mariam forte duos successive viros habuisse, primum Alphaeum, ex quo Iacobus noster natus est, alterum vero Cleopham nomine. Qua hypothesi admissa evanescit difficultas: siquidem Iacobus appellaretur *Alphaei* quia hic fuisset eius pater; mater autem eius Maria vocaretur *Cleophae* quia non nomine mariti defuncti, sed mariti viventis designanda erat. Verum 3° si cui non placeret duos Mariae viros dare, supponere tuto posset Alphaeum et Cleopham duo nomina esse unius eiusdemque viri. Sane binomines viri in N. T. passim occurrunt; ita ut in exiguo Apostolorum numero habeantur Matthaeus qui et Levi, Simon qui et Cephas vel Petrus, Thomas qui et Didymus, Iudas qui et Thadaeus et Lebbaeus, quibus postea accessit Saulus qui et Paulus: quid igitur prohiberet addere etiam Alphaeum, qui et Cleophas? Tandem 4° Alphaeus et Cleophas (in graeco textu Κλωπας) non solum unum eundemque virum designant, sed fortasse *unum idemque nomen* sunt diversa ratione pronuntiatum. Scilicet huius viri nomen Hebraice erat *Hhalphat* (חֶלְפַיִת), quod per punctorum mutationem legi etiam poterat *Hhlophai* (חֶלְפַיִת) mutato scilicet *pathahh* in *sevea compositum* quod, ut punctum brevissimum, solebat in

(1) In hisce locis sermo est de piis mulieribus, quae iuxta Crucem Domini perstitissent; ex iis una dicitur a Matthaeo *Maria Iacobi et Ioseph mater*, scilicet Iacobi et Ioseph fratrum Domini de quibus Mt. XIII. 55, Mr. VI, 3; a Iohanne vero eadem mulier vocatur *Maria Cleophae* (XIX, 25). Unde sequitur Cleopham patrem esse Iacobi, et Ioseph fratrum Domini.

pronunciatione omitti, et interposito *cholem*: porro Graeci ex prima forma Hhalphai fecerunt Ἀλφαιος, omissa scilicet gutturali π et mutata terminatione αī in αιος iuxta consuetum morem (ut ex. gr. nomen Prophetae *Hhaggai* (חַגַּי) Graecis est Ἀγγαίος); ex secunda vero forma *Hhlophai* fecerunt Κλωπας mutata nempe gutturali in K et terminatione Hebraica αī in as, quod etiam alias faturae solent; Latinus autem interpret ex Κλωπας fecit *Cleophas* (1).

Hisce difficultatibus enodatis iterum concludimus Iacobum fratrem Domini nullatenus distinguendum esse a Iacobo Alphaei, atque ideo non tres sed duos tantum insignes in Apostolica Ecclesia Iacobos admittendos (2).

§. II. Quaestione ad duos Iacobos redacta, contendimus Iacobum micorem seu Alphaei, non autem Iacobum maiorem seu Zebedaei epistolae catholicae esse auctorem.

Et sane argumenta tum externa tum interna id evidenter ostendunt.

I. *Argumenta externa* quod attinet 1° *universa traditio* in id consentit; nemo enim ex Patribus Iacobo Zebedaei epistolam nostram tribuit: idemque dicendum de Theologis et interpretibus, si excipiantur nonnulli Hispani scriptores (apud Cornelium a Lapide Praef. in Iacobi epistolam) quibus ignoscendum est si S. Iacobum

(1) Nomina propria hebraica a Graecis et Latinis ob pronuntiationis difficultatem nulla fere certa lege immutantur, ut innumeris exemplis declarari posset.

(2) Superfluum est monere Iacobum dici *fratrem Domini* non germanum, quod esset contra perfectam B. M. Virginis integritatem a Scripturis et ab universa Traditione proclamata, sed sensu latiore, scilicet propinquum vel consanguineum: solet enim Scriptura omnes propinquos *fratres* appellare. Si vero quaeratur quo propinquitatis gradu Iacobus esset cum Christo Domino coniunctus, non una est auctorum sententia. Plures inter Graecos Patres existimarent Iacobum eiusque fratres fuisse S. Iosephi filios, qui eos ex primo coniugio suscepisset antequam nuberet B. M. Virgini. Verum haec opinio Latinis Patribus non probatur, et communiter nunc reicitur a Theologis qui existimant etiam S. Ioseph virginem semper mansisse. Itaque non est recedendum ab iis quae ipsa Scriptura innuit in locis saepius citatis; scilicet Iacobum fuisse fratrem Domini eo quod filius esset Mariae Cleophae, quae B. M. V. soror Ioh. XIX, 25 dicitur: erat igitur Christi Domini consobrinus sive in primo, sive in secundo gradu, prout Maria Cleophae dicitur fuisse sive soror germana, sive soror consobrina B. M. V.

maïorem Hispaniae patronum hac etiã laude cumulare conati sunt, nullo tamen, praeter laudandi stadium, fundamento innixi. Universalis itaque traditio epistolam catholicam tribuit vel Iacobo *Alphaei*, vel Iacobo *fratri Domini*, quos cum demonstraverimus unam eandemque esse personam, tota traditio nobis favet. Notandum imprimis est testimonium Concilii Milevitani in can. 7, et Concilii Tridentini in cit. sess. XIV, ubi *Iacobo Apostolo fratri Domini* epistola adscribitur. 2° Codices antiqui sive Graeci sive Latini huius epistolae inscriptionem et subscriptionem gerunt huiusmodi: « *Epistola catholica S. Iacobi Apostoli fratris Domini; finis epistolae S. Iacobi Apostoli fratris Domini* » (V. Tischendorf. edit. VII Novi Testamenti Graec. in h. l.). Unus vel alter codex (apud eundem Tischendorf.) habet: « *Epistola Iacobi Zebedaei* » quod dicitur etiam legi in nonnullis exemplaribus Syriacis; sed istae voces anomaliae contra omnium instrumentorum criticorum consensum attendendae non sunt.

II. *Interni characteres* epistolae hoc ipsum luculenter evincunt. Nam 1° epistola Iacobi destinata est *duodecim tribubus quae sunt in dispersione* (I, 1) idest Iudaeis qui in variis mundi partibus disseminati Christi fidem amplexi fuerant; tota enim epistola supponit lectores christianam fidem profiteri. Ergo quando haec epistola data est, religio christiana longe lateque diffusa erat extra Iudaeam, et Palaestinam. Iamvero ante mortem Iacobi maioris (an. 43 vel 44 aerae vulg.) Evangelium fere intra limites Palaestinae conclusum fuisse constat. Ergo non a Iacobo maiore, sed a Iacobo Alphaei seu minore epistola catholica scripta est, quem scimus usque ad annum 62, vel 65 aerae vulgaris superstitem fuisse, cum iam opera aliorum Apostolorum salutaris Evangelii lux multis per orbem regionibus affulsisset. Et recte quidem *ad Iudaeo-christianos* Iacobum hanc epistolam dedisse patet ex Gal. II, 9, ubi Iacobus Apostolatum *in circumcisionem* accepisse dicitur. - 2° Epistola Iacobi supponit epistolas Pauli ad Romanos, et ad Galatas. Atqui haec scriptae fuerunt diu post mortem Iacobi maioris. Ergo et illa, proindeque non a Iacobo maiore scripta fuit, sed a superstite altero Iacobo minore, seu Alphaei. Quod epistola Iacobi supponat Pauli epistolas praesertim ad Romanos, et ad Galatas plures ex veteribus Patribus observarunt, praesertim Augustinus in lib. de fide et oper. c. 14. Observarunt scilicet epistolam Iacobi fuisse scriptam

eo consilio ut occurreret pravae interpretationi doctrinae Pauli de fide iustificante. Cum enim Paulus in citatis epistolis vehementer urgens fidei necessitatem scripsisset: *iustificari hominem per fidem sine operibus legis* (Rom. III, 28) et: *ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium reputari fidem eius ad iustitiam* (ib. IV, 5), et iterum: *quia ex fide iustificat gentes Deus... in lege autem nemo iustificatur apud Deum* (Gal. III, 8, 11), cum inquam, haec et similia scripsisset Paulus, nonnulli in pravum sensum eadem accipientes existimabant bona opera ad salutem non requiri, sed sufficere fidem in Iesum Christum. Hunc itaque errorem imprimis refellit Iacobus, et necessitatem honorum operum urget affirmans *fidem sine operibus mortuam esse*, et quemadmodum *corpus sine spiritu esse habendam* (Iac. II, 14-26); dum autem haec praedicat, praee oculis habet dicta illa Pauli eaque explicat, aliquid addens vel clarius proponens: hinc etiam eisdem, quibus Paulus, exemplis utitur, scilicet Abraham et Rahab, Rom. IV, 3; Gal. III, 6; coll. Iacobi II, 21-23, sed observat in illis fidem ab operibus disiunctam non fuisse. Alia etiam occurrunt deprompta ex epistola ad Rom. ex. gr. Iac. I, 3, coll. Rom. V, 3, Iac. IV, 12-13, coll. Rom. XIV, 4, seq. et Iac. IV, 13, coll. Rom. XIV, 4: ex quibus apparet Iacobum Pauli epistolas ad Galatas, et ad Romanos praee oculis habuisse. Porro hasce Pauli epistolas post Iacobi maioris mortem scriptas fuisse omnes admittunt; in epistola enim ad Galatas (II, 1, coll. I, 18) Paulus loquitur ut de re diu praeterita de suo adventu Hierosolymam decem et septem annis post suam conversionem; quae cum acciderit anno Chr. 33 sequitur epistolam ad Galatas post annum 52 scriptam fuisse: epistola vero ad Romanos adhuc serius scripta est, nempe anno 58. Cum igitur post hasce Pauli epistolas edita fuerit epistola Iacobi, non potuit a Iacobo maiore conscribi.

Concludamus igitur Iacobum epistolae primae catholicae auctorem non esse Iacobum *Zebedaei*, sed Iacobum *Alphaei* seu *minorem, fratrem Domini*; qui quidem hac honorifica appellatione initio suae epistolae seipsum non designat, vel quia mortuo altero Iacobo haec distinctio amplius necessaria non erat, ut supra vidimus, vel etiam reverentiae ac modestiae causa; Christo enim Domino iam in coelum recepto, et ad dexteram Patris sedente, minus congruum Iacobo videri potuit se eius fratrem secundum carnem appellare.

THESIS IV.

*Tertia inter catholicas Epistolas (quae secunda Petri dicitur)
genuina est.*

Praenotanda.—Auctor huius epistolae seipsum Simonem Petrum servum et Apostolum I. C. appellat, atque idem prorsus auctor haberi vult ac ille qui praecedentem epistolam conscripsit (III, 4). In hac autem epistola brevi se moriturum praenosces (I, 14) fideles praesertim Iudaeo-Christianos per orbem dispersos in fide confirmare satagit. Et in primo quidem capite eos provocat ad virtutum omnium exercitium, in memoriam eorum revocans divina beneficia, promissiones et gloriosum Christi adventum in die iudicii. In cap. vero secundo lectores praemonet de pseudo-prophetis qui brevi apud illos surrecturi essent, eorumque subdolum pravamque indolem vivacibus coloribus atque vehementiori stylo sub oculos ponit, simulque praenunciat gravissimas poenas, quae illis ex iusto Dei iudicio impendebant. In tertio atque ultimo capite cavillationes pseudo-prophetarum refutat, qui adventum Christi ac iudicii diem in dubium revocabant: moralia addit monita, et solenni doxologia epistolam claudit.

Ex dictis apparet auctorem huius epistolae aut Petrum esse, aut impudentissimum impostorem qui Petri personam simulaverit. Quod autem vere Petrus fuerit certissimis argumentis constat, ut ex dicendis patebit.

Ut tamen consueto ordini insistamus afferemus primo rationes dubitandi, tum vero argumenta pro authentia epistolae, simulque contraria diluemus.

§. I. Rationes dubitandi.

I. Rationes dubitandi *externae*.—1° Silentium Patrum Apostolicorum, nec non Iustini, Irenaei ac Tertulliani.—2° In versione Syriaca simplici haec epistola omittebatur. In canone etiam Muratoriano deesse videtur: eius enim verba obscurissima haec sunt: « Et » Petri tantum recipimus, quam quidem (quidam) ex nostris legi in » Ecclesia nolunt: » quae verba nonnulli referunt ad 2^m Petri,

quae per errorem scriptoris in hoc canone omisa fuerit, quamque auctor uti dubiam ponat, ita ut legi debuerit: « et Petri *unam* (μονὴν pro μόνον) recipimus, praeter quam alteram quidam ex nostris legi nolunt: » alii vero de ipsa 1^a Petri haec verba intelligunt vel de apocrypha Petri apocalypsi.—3° Origenes, Eusebius et Hieronymus hanc epistolam uti dubiam traducunt. Origenes to. V Exposit. in Iohan. (apud Eus. VI, 23) de epistolis Petri ita loquitur: « Petrus » autem..... unam epistolam omnium consensu receptam reliquit: » concedamus vero et alteram, de hac enim ambigitur. » Eusebius autem in saepius cit. capite 25 l. III epistolam nostram inter dubias collocat. Denique Hieronymus de viris illustribus cap. I: « Secunda, inquit, Petri a plerisque eius esse negatur propter styli » cum priore dissonantiam.—Clarius etiam est testimonium Didymi Alex. (saec. IV) qui in Comment. in 2 Petri scribit: « Non est ignorandum praesentem epistolam esse *falsatam*, quae licet publicetur, non tamen in canone est. »

II. Rationes dubitandi *internae*.—1° Ex internis epistolae characteribus unum tantum, quod sciamus, ab antiquis obici solebat, nempe differentia styli, ut supra ex Hieronymo vidimus.—2° Grotius tamen aliam rationem desumptam ex cap. III, 9, 13, adiecit in Praef. adnot. in 2 Petri.: « Nemo enim christianus, inquit, ultimum » mundi diem venturum credidit, nisi postquam evenisset eversio » Iudaici status... Post eam vero brevi admodum futuram mundi » ruinam multorum animo observabatur. Hic vero scriptor (auctor » 2 Petri.) christianos vult (c. III) patientes adhuc esse in illius » diei expectatione, si forte sperato tardius adveniat. » Unde concludit auctorem hunc post Hierosolymae per Titum eversionem scripsisse, proindeque Petrum esse non posse, qui iam sub Nerone cruci affixus fuerat.—Verum haec omnia tanti momenti non sunt ut nos de auctore huius epistolae dubitare sinant. Argumenta enim tum externa tum interna hanc epistolam a Petro scriptam luculenter demonstrant; praefatae autem dubitandi rationes facili negotio dissolvi possunt.

§. II. Argumenta externa pro genuinitate 2^{ae} epistolae Petri et contrariorum solutio.

Ut ab externis argumentis incipiamus, demonstrari facile potest traditionem Ecclesiae universim sumptam stare pro Petro auctore. Sane *Clemens Alex.*, teste Eusebio, 2^{us} Petri cum reliquis catholicis

epistolis commentatus est, cui consentit *Origenes* non solum in ipso loco ab adversariis obiecto, ut infra melius videbimus, sed et in hom. IV in Leviticum, et in Comm. in cap. IV epistolae ad Romanos, et in hom. VII in Iosue, quibus in locis epistolam Petro absolute tribuit. *Firmilianus* Episcopus Cappadociae (quae est una ex ecclesiis, ad quam epistolae Petri destinatae sunt) in epistola ad Cyprianum (inter Cyprianicas 75^a) ait: « Petrus, et Paulus in suis epistolis haereticos execrati sunt: » iamvero Petrus non in 1^a sed in 2^a epistola haereticos vehementer insectatur, ut superius vidimus. *S. Epiphanius* haeres. LXVI, al. XLVI, n. 64, quae est Manichaeorum, explicans verba Ioh. I, 5: *Et lux in tenebris lucet etc.*, quae pravo sensu a Manichaeis explicabantur ait: « Cum peccati caligine obcaecatae mentes hominum forent, principio lex est a Deo missa, qua, veluti sublata lucerna, collustraret: quod in epistola sua Petrus indicat his verbis: attendentes prophetico sermone, tamquam lucernae lucenti in caliginoso loco donec etc. (2 Pet. I, 19). » (Patr. Gr. to. XLII, col. 429-30). — *S. Methodius* apud Epiphanium haer. 64, n. 34, *Cyrillus* Alex. Comm. in 2^a Petri, *S. Ephrem Syrus* in locis infra citandis, *S. Athanasius* epistola Fest. 39, *S. Basilii*, auctor *Synopseos*, *Gregorius Nazianzenus* in *Garmine*, *Concilium Laodicenum* in canone librorum divinatorum, cui praeiverat *Canon Apostolicus* 85, et caeteri omnes Patres Graeci atque Orientales 2^{ae} Petri inter catholicas epistolas recensent et Petro adscribunt. — Diversa non erat *Ecclesiae Latinae* sententia. — Sane *Irenaeus* l. V, c. 23, n. 2, citat verba superius laudata (2^a Petri III, 8), *Hippolytus* Irenaei discipulus ad hanc epistolam alludit (V. Patrol. Gr. Tom. X, colum. 730, 859), in *versione Italiana* quae ex Apostolica aetate descendit, teste *Cassiodoro*, epistola nostra inter catholicas aderat. *Novatianus* in lib. de Trin. c. 8 verba illa 2 Pet. III, 8 veluti ex S. Scriptura allegat « Dies Domini sicut mille anni » (1). *Ambrosius* l. de Incarn. c. 8, *Hilarius* l. I, de Trinit.,

(1) Opportunum ducimus hic monere questionem de canonica auctoritate Epistolae 2 Petri a questione de eius genuinitate omnino pendere: cum enim auctor se Petrum Apostolum diserte nominet, si vere Petrus non esset turpissimae fraudis reus fuisset, ac proinde numquam inter Sacros Scriptores computandus. Quicumque igitur ex veteribus scriptoribus epistolam hanc uti canonicam Scripturam citant eo ipso tamquam genuinam eam habuerunt, quamvis Petri nomen omittant.

Gregorius M. in c. 18 *Ezech.* eam admiserunt. *Rufinus*, *Augustinus*, *Concilium Hipponense* et *Carthaginense III*, *Innocentius I*, *Gelasius*, *S. Philastrius* (in haer. 88) et caeteri omnes quotquot apud Latinos canones librorum sacrorum ediderunt *duas Petri epistolas* numerant ad maiorum traditionem appellantes. Ex vetustissimis Missalibus latinis constat in festo Transfigurationis Domini epistolam 2^{ae} Petri lectam fuisse ut et nunc fit. — Merito igitur Concilium Florentinum, ac postea Tridentinum et Vaticanum epistolam hanc sub Petri nomine divino canonici inseruerunt.

Contra huiusmodi Ecclesiarum consensum nihil valent, quae ab adversariis superius prolatae sunt. Et sane.

1^o Silentium Patrum Apostolicorum etiamsi certum esset, argumentum constitueret mere *negativum*: cum aliud sit omittere, aliud negare; nec ulla esset hanc epistolam citandi necessitas. Accedit etiam epistolam secundam Petri paulo ante Petri mortem conscriptam, et Hebraeis neophytis destinatae fortasse prima illa aetate parum notam in Ecclesia fuisse. — Sed verum ne est Patres Apostolicos epistolam nostram omnino praeteriisse? Contrarium colligi videtur ex *Clementis* Romani ep. 1^a ad Cor. cap. VII coll. 2^a Pet. II, 5, et cap. XI, et XXIII cum 2^a Pet. III, 3, 4: item ex *Hermae Pastore* Vis. III, n. 7 et Vis. IV, n. 3 coll. cum 2^a Pet. II, 15, 20. Eadem dicenda sunt de *Iustino M.* et *Irenaeo*: hic enim, ut supra vidimus, 2^{ae} Petri allegavit, ille autem in Dial. cum Tryph. n. 84 saepius laudata verba usurpat quae 2^a Petri III, 8 leguntur.

2^o Quod pertinet ad versionem *Syriacam*, praeterquamquod illi opponi potest *Latina* versio eiusdem antiquitatis, non est omnino certum 2^{ae} Petri in ea omissam fuisse. Contrarium vehementer defendit cl. Hug. in sua introductione, cui assentitur Franzelin in op. alias citato. Quidquid vero sit de huiusmodi questione, de qua alias redibit sermo, haec duo certa sunt: 1^a in omnibus *Syriacae* versionis editionibus epistolam nostram contineri, 2^a Patres Ecclesiae *Syriacae* eam ut canonicam habuisse (1), nec non in li-

(1) Quod pertinet ad *S. Ephrem*, eius testimonia plura sunt, et clarissima; ita ex. gr. in Serm. adv. impud. integrum fere caput II epistolae 2 Petri exscribit: item in alio loco (Opp. Syr. et Lat. to. II, pag. 342.) citat 2 Pet. III, 10, 12 hisce verbis: « Clamat et Petrus Apostolorum vertex, et caput de illa die dicens: dies Domini sicut fur adveniet..... in qua coeli solventur igne. » Cfr. etiam eiusdem *Paranesim* ad monachos,

turgicis Syrorum libris eandem ut canonicam haberi, quod ad fidem illius Ecclesiae probandam nobis satis est. — Ex canone Muratoriano nihil inferri potest, cum locus valde obscurus sit: atamen probabilis videtur ibi secundam Petri non negari, sed potius admitti, quamvis observet auctor *quosdam* Latinos illam in Ecclesia legi noluisse, forte ob dubium illud a Hieronymo relatum, quod ex diversitate styli in quorundam mente exortum fuerat. Sed haec melius alio loco expendemus.

3^a Paulo gravior videri posset difficultas quae ex Origenis, Eusebii et Hieronymi testimoniis desumitur. — Respondemus tamen eorum testimonia immerito nobis opponi; distinguenda enim est aliorum quorundam opinio quam illi historice referunt, a vera ipsorum sententia, quam nobis potius favere contendimus. Sane, ut imprimis de Origene dicamus, recitandus est locus ab adversariis obiectus, quem servavit Eusebius in l. VI, H. E. cap. 23, ex deperdito V tomo in Iohannem. Quamvis autem de aliis etiam epistolis hic loquatur Origenes, integrum tamen locum dabimus ne in frusta dissectus recte intelligi non possit, in sequentibus autem Thesibus ad illum appellare sufficiat. Sic igitur de Apostolorum epistolis loquitur Origenes: « Is vero quem Deus idoneum reddidit qui Novi Testamenti minister esset, non littera et verbis tenuis sed spiritu ipsius, Paulus scilicet, qui ab Hierosolymis et finitimis locis usque ad Illyricum Evangelium adimplevit non omnibus Ecclesiis quas docuerat, scripsit. Sed et iis quibus scripsit paucas admodum lineas exaravit. Petrus autem cui tanquam fundamento superstructa est Ecclesia Christi, adversus quam nec ipsae inferorum portae praevaliturae sunt, unam dumtaxat omnium consensu receptam reliquit epistolam. Concedamus vero et secundam eius esse: de hac enim ambigitur. Iamvero quid dicendum de eo qui in sinu Christi recubuit, Iohanne? Qui quidem unum reliquit Evangelium, tametsi fateatur tot se libros scribere potuisse, quot nec orbis ipse terrarum posset continere. Scripsit praeterea revelationem, iussus silere, nec septem tonitruum voces perscribere. Scripsit etiam epistolam admodum brevem; sed concedamus, si placet, et secundam et tertiam ab illo scriptas esse; neque enim has genuinas illius esse omnes consentiunt. » — Ex recitato testimonio apparet Origenem hoc prae-

Serm. de secundo Domini adventu, et alibi. — Adde S. Iohannem Damascenum qui Parall. l. I, c. 6, et in aliis locis secundam Petri allegat.

oculis habere, non esse multos libros scribendos, quod quidem videtur sibi per modum obiectionis opponere et exemplo Apostolorum confirmare. Eius igitur scopus forebat ut epistolarum Apostolicarum numerum restringeret quantum posset. Hoc autem posito argumentum ex eius testimonio desumptum contra adversarios retorquetur: si enim contra suum scopum *concedit* alteram epistolam a Petro scriptam esse, non obstantibus quorundam aliorum dubiis; ergo epistolae illius authenticam apud eum certa erat. Et sane in aliis locis ubi propriam sententiam libere exponit, absque ulla haesitatione epistolam Petro tribuit, uti ex. gr. in Hom. IV in Lev.; in comment. in cap. IV ad Rom.; et in saepius laudata Hom. VII in Iosue. — Eadem de Hieronymo dicenda sunt, qui licet in obiecto loco quorundam dubitationes referat, iis tamen minime assentitur; non solum enim in eodem loco absolute pronunciat: « Petrus scripsit duas epistolas » verum etiam alibi, puta in epistola ad Paulinum, duas Petri epistolas commemorat inquit: « Iacobus, Petrus, Iohannes, Iudas Apostoli septem epistolas ediderunt » scilicet Iacobus unam, Petrus duas, Iohannes tres, Iudas unam ut septenarius numerus constare possit. Alibi etiam difficultatem ex styli diversitate petitam solvit, ut infra videbimus. — Denique Eusebium quod attinet, recolendum est hunc auctorem severioris criticae leges secutum, omnia dubia de libris deutero-canonicis historice referre, nullamque difficultatem dissimulare, proindeque ex iis quae in obiecto loco exponit non sequitur ipsum quoque in ea dubitatione fuisse; immo aliorum quoque dubitationes decursu temporis imminutas aut dissipatas fuisse non obscure innuit in l. III, c. 3, ubi sic loquitur: « Quae vero (Petri) secunda appellatur eam quidem inter sacros Novi Testamenti libros relatum non fuisse accepimus, sed tamen cum utilis esse videretur quamplurimis una cum reliquis Sacrae Scripturae libris lectitata est. » Denique in l. II, c. 23 Eusebius septem catholicas epistolas recenset, ac proinde secundam Petri in earum numero includit.

Restaret aliquid dicendum de auctoritate Dydimi Alex. qui epistolam nostram *falsatam* appellat in comm. in eandem epistolam. Verum non desunt critici, qui existimant verba illa aliena manu scriptoris illius libro adiecta fuisse, praesertim quia Dydimi eiusdem sententia in reliquis scriptis nobis favet. (V. Goerike de Schola Alex. V. II, pag. 30). Quod si omnino testimonium illud genuinum

sit eius auctoritas esset deserenda praesertim cum ratio quae illum movisset videtur, scilicet in cap. 3^o epistolae nostrae Platonium de saeculi revolutionibus systema contineri, falsa prorsus sit, et quod ibidem affirmat epistolam illam ea de causa in canone non fuisse falsum etiam appareat ex supracitatis canonibus Dydimi coaevis, vel etiam antiquioribus. — Et haec satis de externis argumentis pro genuinitate 2^{ae} Petri epistolae.

§. III. Argumenta interna et obiectorum solutio.

I. Quae in hac epistola leguntur Petri Apostoli personam portendunt. — C. I, 1 Auctor se appellat *Simonem Petrum servum et Apostolum Iesu Christi*. — C. I, 16-18 ait: se *speculatorem factum magnitudinis Christi*. « Accipiens enim (inquit) a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi a magnifica gloria: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de coelo allatam cum essemus cum ipso in monte sancto. » Quae quidem acciderunt in monte Thabor in transfiguratione Domini (Math. XVII, Mar. IX, Luc. IX). Porro huic facto non aderant alii praeter Iohannem, Iacobum et Petrum; quare unus ex iis epistolam scripsisse dicendus est: nemo autem umquam suspicatus est eam a Iohanne vel Iacobo scriptam. — C. III, 1 ait: « Hanc ecce vobis, charissimi, *secundam scribo epistolam*, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem, etc. » quibus verbis sibi vindicat auctor etiam primam Petri epistolam, cuius genuinitas a nemine umquam negata est. — C. III, 13 de Paulo loquens ait: « Sicut et *charissimus frater noster Paulus scripsit vobis*, » quae loquendi ratio nemini melius quam Petro convenit, cuius familiaritas et laborum consortium cum Paulo Apostolo omnibus nota sunt, quare semper horum Apostolorum memoriam Ecclesia simul coniungit, qui quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

Ex hisce omnibus manifestum fit auctorem epistolae de qua loquimur absque ullis ambagibus ut Petrum Apostolorum principem se lectoribus prodere. Aut igitur Petrus est, aut impostor, qui inolerabili audacia Petri personam et auctoritatem usurpat. Verum eum non esse impostorem multa suadent. Imprimis enim ipse candor et simplicitas quae in hac epistola elucet, charitas ac pietas

quam tota spirat, huiusmodi fraudis suspicionem ab auctore remouent. Deinde quisnam ita stultus fuisset qui existimaret se posse Apostolorum Principis scriptum confingere et universae Ecclesiae imponere; nonne potius de alio aliquo Apostolo cogitasset, cuius gesta minus perspicua et explorata in Ecclesia essent? Aut certe quomodo fieri potuisset ut Ecclesia fraudem illam numquam detegere? Certe si in omnium Apostolorum scriptis recipiendis semper vigilanter et caute se gessit Ecclesia, multo magis in Petri scriptis ita se gerere debuit, ac numquam permisisset spuria pro genuinis vulgari. Quod quidem et historia confirmat: nam et *Petri Evangelium*, et *Petri acta* statim ac in vulgus edita sunt orthodoxi pastores proscripserunt et inter apocrypha amandarunt: idem ergo fecisset Ecclesia de epistola nostra, si ea per fraudem Petro supposita et falso Petri nomine inscripta olim apparuisset: idque potissimum fecisset Ecclesia Romana a Petro fundata et diu gubernata, unde etiam haec epistola scribi a Petro debuisset paulo ante martyrium.

II. Quae ab adversariis obiecta sunt ex internis characteribus facile diluuntur.

1^o Diversitas styli variis modis explicari potest. S. Hieronymus qui hanc difficultatem in obiecto loco commemorat, eandem solvit in epistola ad Edebiam q. 11: « *Duae*, inquit, *epistolae quae feruntur Petri stylo* inter se et characterē discrepant, structurae verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum *diversis eum usum esse interpretibus*. » Supponit nempe S. Doctor Petrum non per se scripsisse, sed amanuensibus lingua Chaldaica dictasse quae illi graece scriberent, quod etiam Clemens Alex. in VII Strom. affirmat; quare diversitas styli ex amanuensium vel interpretum, qui Marcus et Silvanus (1 Pet. IV, 12) fuisse dicuntur, diversitate explicaretur. — Verum haec hypothesis necessaria non videtur; nam idem Petrus potuit diverso stylo uti, sive ob diversitatem materiae utriusque epistolae, sive etiam ob diversam aetatem, qua scribebat; secunda enim epistola viginti et amplius post primam annis, in summa senectute, paulo ante mortem a Petro scripta est; quod ex verbis I, 14, 15 eruitur: « Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et D. N. I. C. significavit mihi. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum,